



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Franciscus Enriquez n. 25

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Societas  
victrix hæ-  
resū, Pha-  
rus virtutū  
perfectio  
sæculi, glo-  
ria disci-  
plinarum.

Clarum, &  
illustre So-  
dalitium.

Teneram  
ætatem  
pietate, &  
eloquentia  
imbuens.

Ordo homi-  
num Chri-  
stianam  
Remp. ful-  
cientium.

Scriptis,  
concioni-  
bus, &c.

Is fortissi-  
mi Christi  
milites re-  
diuinam  
hæresim op-  
pugnantes.

Et sapien-  
tia lumina.  
Ignatius  
Dux, &  
Atlas  
Ecclesiæ.

pondere firmarentur, mortalium partim frigore partim sce-  
lere expugnato? Societas illa IESV est; quam cum nomino,  
fatis laudo. Illa Victrix hæresum, Pharus virtutum, Perfe-  
ctio sæculi, Gloria disciplinarum. *Hæc ille vbi nuper. pag.*  
*671.*

23. A PONTO HEVTERO *Scriptore Casareo lib. 13. vitæ*  
*Car. V. qui sequens testimonium de doctrina sociorum reliquit:* Per  
se (*inquit*) clarum & illustre IESVITARVM Sodalitium, qui sine  
morositate reformatam ad pietatis cultum vitam, insuper pu-  
rioris literaturæ elegantiam prudenter sectantur, teneram-  
que in hac & pietate ætatem diligenter imbuunt, & ad elo-  
quentiam & ingenij acumen elimandum exercent. *Hæc ille*  
*Ibid. lib. 5. cap. 6. pag. 645.*

24. A RENATO CHOPPINO *De Sacra politia lib. 11. n. 18.*  
Miscellâ etiam hac tempestate, excitatus est à superis novus  
Religiosorum hominum Ordo, qui vt à IESV Societate no-  
men obtinent, sic assidua Sacræ Paginæ lectione, concioni-  
bus, scriptorumque editione nutantem fulciunt Christianam  
Rempublicam, rara ingenij, doctrinæque munera ad orna-  
tum Templi Dei, idest Ecclesiæ, conferentes. Potiuntur  
certè hi parva ex optimis studijs insigni gloria, quæ nixa veræ  
virtutis radicibus nunquam deflorescet. Nec vero melatet  
Sacri huius Ordinis nouitatem inuidiosam fuisse nonnullis:  
sed, fractis inuidiæ repagulis, IESVITARVM Ordo radices  
egit velut de cælo missas: quo fortissimi Christi milites redi-  
uiam veterum hæresim oppugnarent æquè strenuè, vt im-  
pijs Albigentium erroribus obiecti sunt à Numine quon-  
dam Dominicanæ normæ Sacerdotes. *Hæc ille Ibid. lib. 5. cap.*  
*11. fol. 678.*

25. A FRANCISCO ENRIQUEZ: Habet (*inquit non mi-  
nus breuiter, quàm neruose*) sapientiæ lumina Ignatius cum sua  
Familia, & eum iustissimo titulo Vrbanus VIII. appellat Du-  
cem, & Atlantem Ecclesiæ, qui doctrinæ suæ humeris mun-  
dum fulciat, atque sustentet. *Hæc ille vbi supra.*